



Theophili Raynavdi Societatis Iesv Theologi, Opera Omnia

Tam hactenus inedita, quàm alias excusa, longo Authoris labore aucta & emendata : Accessit Tomvs Integer Complectens Indices Septemdecim in vniversum Opus, omnium quotquot prodierunt locupletissimos, Qvibus Absolvts Divinae Av Humanae Eruditionis Thesaurus Orbi literato aperitur ; Adiectus est ...

Raynaud, Théophile

Lugduni, 1665

Capvt I. De meritoria Christi causa, secundùm potentiam ordinariam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79561](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79561)

tur, quæ per se non influit immediate in effectum, sed cum dumtaxat producit, applicando moraliter causam physicam intellectu & libera voluntate præditam, eamque inducendo ad operandum interuentu rationis alicuius moralis, puta meriti, petitionis, satisfactoris, consilij, similis. Ex quo liquet, nonnullam esse affinitatem inter huiusmodi causam effectiuam, & finalem proximè expositam; quandoquidem utraque causat interuentu agentis physici, quod per eas mouetur; sed diuersimodè. Nam causa moraliter effectiua, supponitur aliquo modo existens, nec mouet ut fiat vel habeatur, sed ut ratione illius iam existentis fiat aliquid aliud; vnde respectu causæ physicae, se habet ut ratio agendi; & propterea ad efficientem causam reuocatur. At finalis causa, supponitur non existere, mouetque ut ipsa fiat vel habeatur, quæ est ratio causandi longè diuersa ab ea quæ efficiendi physico competit. Quare non immerito, causam moraliter effectiuam finali subnectemus, ob propositam vtriusque affinitatem. Cum autem iam multiplex sit causa moralis; nempe meritoria, impetrans, satisfaciens, consilium præbens &c. nos hic de sola meritoria disputabimus, quia sola difficultatem ingerit circa Christi productionem.

CAPVT I.

De meritoria Christi causa, secundum potentiam ordinariam.

CAUSA Christi meritoria duplex distingui potest: nempe de condigno, & de congruo. Prior est absolute & simpliciter meritoria: posterior valde affinis est impetratoriæ, imò cum ea confunditur à nonnullis; sed perperam, cum beati qui extra huius vitæ scamma nihil ultra merentur, impetrent tamen. Quia tamen magna affinitas est, inter impetratoriam causam, & eam quæ dumtaxat congruè meretur, vtramque hic coniungemus. Porro causa & condignè & congruè meritoria, vel spectatur secundum potentiam Dei ordinatam, seu quoad meritum quod aliqui re ipsa habuerint; vel quoad potentiam Dei absolutam, & meritum quod præter leges de facto positas obtingere potuisset. Rursum in vtriusque meriti obiecto, substantia incarnationis, siue entitas & existentia vnionis humanitatis Christi cum Verbo (quæ vnio est Christus formaliter;) secernenda est à circumstantijs eiusdem, puta à tempore & loco in quibus producta est, & à personis creatis cooperantibus, ac si quæ sunt huiusmodi alia incarnationis substantiam circumstantia. De his quippè, diuersa ratio est, quam substantiæ; ideoque seorsim de vtriusque est pronuntiandum.

Substantiam incarnationis ne ipse quidem Christus condignè meruit.

159. Initio igitur factò à substantia incarnationis, eoque merito condigno quod re ipsa & de facto cuiuspiam obtigerit; negandum omnino est, siue Christum ipsum, siue alium quempiam, meruisse incarnationis substantiam, prout primò collatam. Quod addo, quia hic non est quæstio, de replicationibus incarnationis quæ sunt in Eucharistia: has enim Christus mereri potuit, quippe cui ex merito concessa est potestas excellentiæ ad Sacramentorum institutionem: & per se liquebit inferius, difficultates quibus meritum primum collatæ vnionis cum Verbo diuino implicaretur, non habere locum in reproductionum illarum merito. Erit qui idem pronunciet de merito continuationis incarnationis semel collatæ, eo quod similiter, difficultates quibus meritum incarnationis in primo momento impeditur, non habeant locum circa continuationem. Aliunde tamen adigimur non aliter philosophari de

merito continuationis incarnationis, quàm de merito eiusdem primò collatæ: quia vnio hypostatica est aliquid sapientie natura incorruptibile, nec nisi per miraculum destrui à Deo potest, ex quo semel fuit collata. Quare cadit sub meritum, vel ab eo eximitur, eodem modo quod prima vnionis hypostaticæ collatio. Nec dissimiliter de vnione noua partiali, facta per alimentum conuersionem, philosophatur cum plerisque quos citat Bonac. disp. 2. q. 12. p. 5. §. 1. num. 8. Agendo igitur de incarnatione primò facta, negaui quodcumque meritum condignum substantiæ eius; siue per Christum, siue per alium quemcumque. Hoc quantum ad Christum attinet, duobus modis accipi potest. Primò scilicet, ut negetur, Christum prius tempore quàm eius humanitas Verbo vniretur, fuisse aliquamdiu hominem purum, postea verò pronectum esse ad dignitatem filij Dei naturalis, ob merita. Secundò ut negetur, Christum quamuis ab initio productionis suæ semper positum Verbi personalitate, etque vnium; tamen prius naturam quàm humanitatem eius personalitate diuina terminaretur, eliciuissè actiones meritorias, quibus pronecti ad vnionem cum Verbo mereretur.

Tale Christi meritum, tempore præcedens vnionem, fides excludit.

160. Prior sensus, est de fide. Nam affirmare Christum per aliquod tempus ante vnionem cum Verbo, fuisse purum hominem, & in eo statim meruisse humanitatem suam vnionem cum Verbo, hæresis est explorata. Proptereaque S. Gregorius lib. 9. registri epist. 61. tradens Hibernis Episcopis professionem fidei, quam docendi essent emittere, qui à Nestorianismo ad Ecclesiam regrediebantur, inter alia præscribit, ut docerentur Christum à primo momento conditionis suæ humanæ, fuisse Deum, [Dum vigenitiam Dei (inquit de Deipara) existens ante sæcula ex eius vtero natus est homo, inuestigabili miraculo facta est ancilla hominis per diuinitatem, & mater Dei per carnem. Non autem prius in vtero virginis caro concepta est, & post modum diuinitas venit in carnem; sed mox ut Verbum venit in vtero, mox Verbum seruata propriæ virtute naturæ, factum est caro. Et perfectus homo, id est, in veritate carnis & animæ rationalis, natus est per vterum virginis, vngenitus Filius Dei. Vnde & vnctus præ participibus dicitur, sicut Psalmista ait: *Vnxit te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ præ consortibus tuis.*]

Sed quia de ea perpetua coexistentia humanitatis & vnionis hypostaticæ, agèdū ex instituto est capite sequenti, præstat hic dumtaxat meritum & pronectiōnem in Deum excludere, quod pulchrè fecit idem S. Gregorius lib. 18. Mor. cap. 35. ad illud: *Non adæquatur ei topazium de Æthiopia.* Quod idem esse ait, [Ac si dicat aperte: Nullus Sanctorum quibuscumque virtutibus plenus, ex ista tamè nigredine mundi collectus, æquari ei potest de quo scriptum est *Quod nascetur ex te sanctum vocabitur Filius Dei.* Nos quippe etsi sancti effici-mur, non tamen sancti nascimur: quia ipsa naturæ corruptibilis conditione constringimur, ut cum Propheta dicamus: *Eccc enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis peperit me mater mea.* Ille autem solus veraciter sanctus natus est, qui ut ipsam conditionem naturæ corruptibilis vinceret, ex commixtione carnalis copulæ, conceptus non est. Huic se sapientiæ quasi quoddam topazium de Æthiopia æquari voluit, cum quidam heresiarches dixit. [Non in iudeo Christo Deo factò, quoniam si volo, & ipse possum fieri.] Qui Iesum Christum Dominum nostrum, non per mysterium conceptionis, sed per profectum gratiæ Deum putauit, peruersa allegatione astruens, eum purum hominem natum; sed ut Deus esset, per meritum profecti; atque ob hoc existimans & se, & quolibet alios, posse

posse ei coquari, qui Filij Dei per gratiam sunt; non intelligens, non attendens, quia non adæquabitur ei copiam de Æthiopia. Aliud est enim, natos homines gratiam adoptionis accipere; aliud vnum singularem per diuinitatis potentiam, Deum ex ipso conceptum prodijisse. Nec æquari potest gloria vnigeniti habita per naturam, ab alijs accepta per gratiam. Media: quippe Dei & hominum, homo Christus Iesus, nō licet ille hæreticus desipit, alter in humanitate, alter in Deitate est. Non purus homo conceptus atque editus; post per meritum, vt Deus esset, accepit; sed nunciat Angelo & adueniente Spiritu mox Verbum in vtero, mox intra vterum Verbum caro, & manente incommutabili essentia, quæ ei est cum Patre, & cum Sancto Spiritu coeterna, assumpsit intra virginis viscera: & impossibilia pati, & immortalis mori, & æternitate secula, temporalis posset esse in fine seculorum.]

Leporius item insigniter, in suæ emendationis libello, cui S. Augustinus habetur adscriptus, & à Cassiano etiam commendatur in opere de incarnatione lib. 4. Leporius inquam, ex Pelagiano in Gallia hæretico, factus Cathagagine Catholicus, referens & dānans errorem quo prius sordiderat, ita scribit. [Agendum nobis semper est & credendum, vt Dominum Iesum Christum, Filium Dei Deum verum, quem cum Patre semper & æqualem Patri ante secula confiteamur, eundem à tempore susceptæ carnis, factum Deum hominem non negemus; nec quasi per gradus & tempora proficentem in Deum, alterius status ante resurrectionem eum fuisse credemus, sed eiusdem semper plenitudinis, atque virtutis.] Ad hanc profectionem per gradus, quam Christo negat, pertinet locus eiusdem libelli, quo Leporius simpliciter meritum à Christo remouet, & maxime detestator qui illud inuehant. Sic enim ait. [De eo autem, quod stultissime in epistola propositum, sed ignoranter, quodque nunc excusabile confitemur; id est apantes ad Christum, laborem, deuotionem, meritum, fidem; in tantum inuenientia hæc Dei Filio iudicamus, vt reminiscens dictum à nobis, summam cecitatem nostræ insipientie reputemus, & ex aperto cernamus quā vera quidam sint aduersum nos ratione commoti. Qui tantum vnicaque sanctorum, (licet hoc nunquam habuerimus in corde) penè Christum similem fecerimus, illis & qui super omnes est Deus, hæc quæ habet simplex & vna mortalitas assignantes, inter ceteros quodammodo eum posuerimus in numero.] Hoc quid sit, & quid dicens, Christum in numero posuerit, explicat non ita multo post, huncin modum. [Nescit labor, deuotione, fide, merito, finem adprehendere meritum, qui infinitus & sine terminis, agit omnia potestate.]

161. Sanè si Leporius, meritum quodcumque Christo negasset in libello emendationis, non tam emendasse errorem pristinum, quā de nouo errasse dicendus esset: nec S. Augustinus, alijque Affricani Episcopi libellam eius suis suffragijs munuissent. Itaque meritum quod Leporius iam Catholicus, approbante S. Augustino, & Africanis Episcopis, Christo negat, est meritum incarnationis suæ, per actiones tempore aliquo anteriores; quale meritum antea male admerat. Itaque ex Cassiano constat, qui errorem à Leporio tractatum, his verbis refert lib. 1. de incarn. cap. 2. [Nuper quoque, id est, in diebus nostris emerisse hæresim venenatam, & maxime Religiarum vrbe conspeximus, certi erroris, incerti nominis: quia cum recenti capitulum est, antiqua magis dici an recens debeat. Noua enim assertoribus, sed vetusta erroribus fuit. Socraticus quippe hominem Dominum nostrum Iesum Christum, natum esse blasphemans, sed quod ad Dei

postea honorem potestatemque pertinet, humani meriti, non diuinæ asseruit fuisse naturæ: ac per hoc, cum diuinitatem ipsam non ex proprietate vnitæ sibi diuinitatis semper habuisse, sed postea pro præmio laboris passionisque meruisse: Cum vtique Dominum Saluatoremque nostrum, non Deum natum, sed à Deo blasphemaret assumptum: confinis (scilicet huic hæresi quæ nunc extrat, & quasi germana ac consanguinea; quæque tam Ebionitis quā his recentibus consentanea: tempore quidem inter vtrosque media, sed vtrique tamen ærernitate coniuncta.)

Illud postea, vt docet cap. 3. intelligebant post passionem. Ita senserat Leporius, vt habet Cassianus cap. 4. & lib. 7. cap. 12. iuxta Pelagij errorem, ac etiam antecessorem eius, Photini scilicet, Theodori, Diodori, atque Nestorij vt ait Elias Cretensis ad orat. 5. Naz. vbi Theologus, hoc telum vel potius fulmen vibrat in huiusmodi errorem. [Si quis eum, (Christum) ex operibus perfectum fuisse, aut post Baptismum, vel resurrectione à mortuis, in filium adoptatum dixerit, quem admodum quos Græci adscriptitios inducunt, anathema sit. Neque enim id, quod initium habuit, aut proficit, aut perficitur, Deus est: tamen hæc de eo idcirco dicantur, quod paulatim sese perfecit.] Quamquam dubitari potest, verè ne Elias, hunc Theologi locum intorqueri dicat in Nestorium, & antecessores eius. Nam errores prædicti, præter errorem de vnione ad Verbum actionibus à Christo puro homine editis parta, alio item sordebant errore; nempe quod vnionem non censebant esse realem, sed quoad affectum, cuiusmodi est nostra cum Deo vnio. Qua ratione, Christus non esset verè & substantialiter Deus. At manifestè vides, Anathema quod Nazianzenus in eos vibrat, & locum quo ait iuxta eos Christum inter Deos adscriptitios referendum fore, intorqueri in eos qui Christum verè Deum profiterentur; sed per opera elicta posterius tempore, quā humanitas primum producta esset, quod ibidem agnoscit Elias.

Alcuinus lib. 3. de Trin. c. 1. exponens cur Christus dicatur conceptus de Spiritu sancto, [quid hic (inquit) Spiritus sancti mentio facta est, nisi quod magna Dei gratia commendatur? Quid enim natura humana in homine Christo meruit, vt in vnitatem personæ vnici filij Dei, singulariter esset assumpta? Quæ bona voluntas, cuius boni propositi studium, quæ bona opera præcesserunt, quibus mereretur iste homo, vna fieri persona cum Deo, imò & homo ipse Deus? Nempe ipse Deus; ex quo homo cæpit, non aliud cæpit esse, quā Dei filius: & hoc vnicus vnigenitus & proprius, & propter Dei Verbum, quod caro factum est, vtique Deus: vt; quemadmodum est vna persona quilibet homo, anima scilicet rationalis & caro, ita sit Christus vna persona, & Verbum caro. Vnde naturæ humanæ tanta gloria, nullis præcedentibus meritis; (Sine dubitatione gratuito munere;) nisi quia magna hæc & sola Dei gratia fideliter & sobriè considerantibus euidenter ostenditur, vt intelligant homines per eandem gratiam se iustificari posse à peccatis, per quam factum est, vt homo Christus nullum posset habere peccatum.] Exscripsit Alcuinus Augustinum, qui eundem errorem potenter debellat lib. de correp. & grat. 1. adducendus lib. 5. cum videbimus quo sensu Christus dictus sit *Dei gratia*. Quare tempero pluribus.

Scriptura quedam in contrarium.

162. In contrarium obtendi possunt quedam Scripturæ loca, quibus videtur significari, humanitatem assumptam fuisse diuinitate inunctam, eamue accepisse propter merita, prædicta tempore aliquo ante vnionem. Ita enim sonare videtur locus ex Psal. 44. *Dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem: propterea vnxit te Deus*

Deus, Deus tuus oleo laticiae praefertur tuis. Vbi vnctio sponsi, facta dicitur propter odium peccati, & iustitiae amorem, quibus eam vnctionem promeruerit. At ea vnctio, ut supra iam diximus, & plenius infra confirmabimus, est assumptio humanitatis ad Verbi personam: nec potest exponi de nuda vnctione gratiae sanctificantis purae creaturae, cum eam Christus non habuerit ex merito, quippe debitam vnioni admodum proprietatis connaturalis. Igitur Christus habuit vnionem humanitatis suae ad Verbum, propter dilectionem iustitiae, & iniquitatis odium, tamquam causam meritoriam. Insulse quidem Ariani, referente S. Hilario l. 1. de Trinit. & Athanasio orat. 2. contra Arianos, illum Pfaltis locum referebant ad Verbum in natura Verbi: indeque inferebant, Verbum non esse naturam Deum, sed profectum; nec esse Patri aequale, sed esse creaturam. Quod Patres praedicti merito explodunt, cum totus Psalmus manifeste cadat in Christum. At interpretando eum locum de Christi humanitate vnguento diuinitatis delibuta, quod egregie facit S. Augustinus ibi, & Hilarius lib. 4. Trinit. videtur locum habere difficultas proposita. Quae etiam acutius pungit in loco ex cap. 5. Apocal. ubi agnus qui occisus est, dicitur dignus accipere virtutem, & diuinitatem: utique in premium exceptae moris: qua ratione Christus, non fuisset Deus in hac vita mortali; sed post mortem dicendus esset obtinuisse Deitatem, hic per merita comparatam.

Enodantur.

163. Verum neuter locus probat intentum. Nam locus Psalmi, non incommode à quibusdam longè alio sensu accipitur: nempe ita ut illud *propterea*, sonet effectum dilectionis iustitiae, & odij iniquitatis: oleum autem laticiae, sonet gloriam externam, & exaltationem, ac celebritatem nominis, Christo ex meritis illis concessam. Qua ratione, sensus loci illius est, quia dilexisti iustitiam, & peccatum odisti; & obediendo usque ad Crucis mortem illud destruxisti, idcirco Deus te glorificauit; deditque tibi nomen super omne nomen, & exaltauit te supra omnes exaltationis & gloriae quomodo participes, cum Angelos tum homines. Hoc sensu acceptus locus Psalmi, nullomodo officit veritati propositae. Est & alius sensus, quo vnctio accipitur de assumptione humanitatis ad Verbum. Sed tunc particula *propterea*, non sonat effectum dilectionis & odij, sed potius causam; estque sensus. Causa quare dilexeris iustitiam & oderis iniquitatem, fuit vnio hypostatica tibi communicata diuinitus: Vel clariùs & cortici literae convenientius, cum S. Athanasio orat. illa 2. contra Arianos. Tu quidem o Deus homo dilexisti iustitiam & odisti peccatum, idque ut praestares, inunctus es à Deo oleo laticiae. Itaque non quia Christus dilexit, & odit factus est Deus: sed è contrario, ut diligeret & odisset dignè Deo, posteaque peccatum ita odisset, ut illud exhibita aequali satisfactione destrueret, inunctus est oleo laticiae, & diuinitatis vnguine in sua humanitate delibutus. Sic expositus locus ille, prorsus vacat difficultate.

Et idem est de loco Ioannis, in quo plerique Codices non legunt *diuinitatem*, sed *diuinitas*. Obseruat autem ibi Ribera, plerosque Graecos codices quos se vidisse testatur habere *θεοτητα* cui responderet ea vox latina quam dixi; censerque idem interpretes, non inueniunt simile, festinantem librum dum cogitat *diuinitas* scribere, scripsisse *diuinitas*; quem nominandi casum, ad vitandum soloeicisum, alij committant causa acculandi, scripserintque *diuinitatem*. Nobis, saluis omnibus apicibus vulgatae editionis, facile est eius loci impetum declinare, dicendo; accipere diuinitatem; ibi non significare, accipere vnionem hypostaticam; sed significare manifestationem diuinæ potentiae, virtutisque infinitae praehabita, quae tum demum predicta est

cum omnes aduersarij subiecti sunt Christi pedibus, & nomen eius exaltatum est super omne nomen: Quam nominis celebritatem, beatus ille cæcus, agno occulo optabat; ut posteriores gloriae, abiectioem anteriorem compensarent; & qui se humiliauerat, exaltaretur. Ita ibi Hieronymus. Vides quàm nihil in eo loco aduersarijs setatur aut metatur, quamque absurde Ansbertus in cap. illud 5. ea verba de verò merito hypostaticae vnionis acceperit. Firmabitur autem quod hic diximus, per ea quae mox addemus contra posteriorem sensum, quo negabam posse meritum incarnationis Christo arrogari.

Idem meritum per actus naturam tantum priores, an Christo negandum.

164. Posterior ergo Sensus quo dicebam non posse Christo tribui de facto condignum meritum incarnationis; ille est, quo Christus semper quidem, etiam in temporis quocumque momento, dicatur fuisse verus Deus: sed ita ut per actionis in primo productionis suae momento prius natura elicitae meruerit humanitatis suae vnionem cum Verbo. Sic enim Christus numquam fuerit purus homo, qualem eum fuisse blasphemabant auctores prioris sensus proximè discussi: Tamen per actiones elicitas independentes à gratia vnionis, eam dicitur promeruisse, & adeptus esse; qua ratione Angeli in primo productionis suae momento poterunt liberè operari ac mereri ut est communior sententia inter tractandum de sanctificatione Angelorum. Videret esse in hac sententia S. Augustinus l. 2. de incarnatione *sub finem*, sic scribens de praexcellencia animae Christi. [Sed & vnus Spiritus esse cum Deo, cui magis conuenit, quàm huic animae, quae seita Deo per dilectionem iunxit, ut cum ipso Deo vnus Spiritus merito dicatur, Propheta dicente, *Dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem, propterea vnxit te Deus, Deus tuus oleo laticiae praefertur tuis*. Dilectionis ergo merito, vngitur oleo laticiae; id est, anima cum Verbo Dei Christus efficitur: Vngi namque oleo laticiae, non aliud intelligitur, quàm Spiritu sancto repleti. Quod autem *praefertur* dixit, indicat quia non gratia Spiritus, sicut Propheta data est, sed ipsius Verbi Dei in ea substantialis inerat plenitudo: sicut & Apostolus dixit, *In quo inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter*.] cum enim nihil ibi habeatur de praexistencia animae ad corpus, videtur locus ille accipiendus de merito dilectionis prius tantum naturam elicitae qua sibi Christi anima condignè meruerit vnionem ad verbum.

Negat illud D. Augustinus.

Hunc sensum asserendi Christi condignum meritum vnionis hypostaticae, omnino repudio: non modò quia est contra torrentem Doctorum post S. Thomam 3. p. q. 2. art. 11. ubi Caietanus, Medina, Alvarez, Vasquez, Suarez, Ragusa, passimque alij Scholastici, tale meritum à Christo amoluntur; sed etiam quia est contra manifestissima D. Augustini testimonia, & apertam rationem in Scripturis fundatam. E Dini quidem Augustini locis, insignis est qui habetur tract. 82. in Ioan. Ibi enim expendens illud, *Pateris mei praecipia seruauit, & maneo in eius dilectione*, sic scribit. [Dicendo, sicut dilexit me Pater, & ego dilexi vos, gratiam mediatoris ostendit: Mediator autem Dei & hominum, non in quantum Deus, sed in quantum homo est, Christus Iesus. Et profectò secundum id quod homo est, de illo legitur; *Iesus proficiebat sapientia, & aetate, & gratia apud Deum & homines*. Secundum hoc igitur possumus rectè dicere, quod cum ad naturam Dei non pertineat natura humana, ad personam tamen vnigeniti filij Dei per gratiam pertinet humana natura, & tantam gratiam

nam, vt nulla sit maior, nulla profus equalis: neque illam susceptionem hominis, vlla merita precesserunt, sed ab illa susceptione, merita eius cuncta ceperunt. Manet ergo filius in dilectione, quia eum dilexit Pater: & idem seruat praecepta eius. Quid est tamē & ille homo nisi quod Deus susceptor est eius? Deus enim erat Verbum, vnigenitus gignenti coaeternus, sed vt mediator daretur nobis, per ineffabilem gratiam Verbum caro factum est, & habitauit in nobis.

161. Præterea huc maxime facit locus ex lib. 2. de peccat. merit. cap. 17. Nam quomodo S. Augustinus loco superius contra primum sensum adducto, ex lib. de corrept. & gratia c. 11. differē affirmit, Christum non meruisse effici filium Dei per opera arbitrij humani, sed iam ex vtero, & ab ipsa conceptione fuisse Deum & hominem; tamen locus ille videtur ferire opera consequentia conceptionem; ita vt sensus esse videatur, Christum esse Deum ab initio suæ productionis, & ex vtero materno: nec per merita post natiuitatem comparata, prouectum esse ad Deitatem; sicut nos per merita rationis ac libertatis vsum, atque adeo ad aliam ætatem consequentia, prouehimur in Dei filios adoptiuos. At locus in quo nunc versamur, aperte excludit merita, etiam si non nisi antequam natus in primo productionis Christi momento comparata, ita enim habet. [Victorum omnium humanorum causa, superbia est. Ad hanc conuincendam atque auferendam, talis medicina cellitus venit; ad elatum hominem per superbiam, Deus humilis descendit per misericordiam; gratiam clarat manifestamque commendans in ipso homine, quem tanta præ participibus suis charitate susceperat. Neque enim & ipse ita Verbo Dei coniunctus, vt ipsa coniunctione vnus Filius Dei, & idem ipse vnus filius hominis fieret, præcedentibus suæ voluntatis meritis fecit. Vnum quippe illum esse oportebat. Essent autem & duo, & tres, & plures, si hoc fieri posset, non per Dei proprium donum, sed per hominis liberum arbitrium. Hoc ergo præcipue commendatur, hoc in sapientiæ atque scientiæ thesauris in Christo absconditis, quantum existimate audeo, præcipue docetur & discitur.]

Manifestissime ibi S. Augustinus, quæcumque Christi merita, etiam quæ non nisi natura præuenerint ad conceptionem vnionis, euerit. At enim ita planè se habuisse Christum ad gratiam vnionis, sicut nos comparatur ad primam gratiam actuale; eoque ita spectasse Deum, cum Christum produxit & humanitatem eius Verbo vniuit, vt agnoscerent homines quomodo potestatem accepissent Filij Dei fieri: nempe post præparationem plane gratuitam. Sicut filius naturalis ex pura Dei misericordia & nullo suo interposito merito, copulationem diuini Verbi cum humanitate sua est effectus. Atqui fides docet, primam gratiam actuale ex nullo merito nobis obtingere, sed diuinitus ex pura misericordia conferri. Igitur multo magis, eminentissima illa gratia vnionis quæ est prototypum & primum exemplar omnium gratiarum, eodem modo obigit Christo. Frequens est in ea collatione & æquiperatione modi quo Christus vnionem accepit & nos primam actuale gratiam adipiscimur, idem S. Pater, ac nominatim egregie id tradit l. de prædest. SS. cap. 15. & ad finem libri de dono persever. & epist. 57. in fine, & in Enchir. c. 36. & 40. ac sem. 8. de verbis Apostoli.

Suffragium rationis.

166. Tam ratio valida ad probandum, Christum de facto non meruisse sibi condignè vnionem ad Verbum in primo momento suæ productionis, eruenta est ex egregia doctrina S. Hilarij lib. 1. de Trin. expendentis illud ex Psal. 44. Dilexisti iustitiam, propterea vniuitur Deo. Sic enim scribit. Consequens & posterior causa

Thoe. Raynaldi Christi.

numquam refertur & prior sit, quia meruisse aliquid posterius est, quàm esse qui possit mereri. Mereri enim eius est, qui sibi ipse meriti acquirendi autor existat. Sensus est, actum merendi cum sit actus quidem secundus, supponere completam existentiam eius qui mereri dicitur. Atqui Christus non habuit existentiam completam, qua operari posset prius natura quàm eius humanitas Verbo vniiretur. Nam vi vnionis Christus accepit substantiam diuinam, quæ est naturæ complementum, ac terminus vltimus substantialis, ante quod complementum appositum, natura non est apta operari. Prius si quidem est, esse in se completè quam agere, & foras erumpere per operationem. Igitur Christus non potuit profundere actum merendi, respectu vnionis quæ eius humanitas nexa est Verbo: sic enim operatus fuisset priusquam completè esset, quod per vnionem & subiectam ei diuinam substantiam habuit. Neque verò fas est eludere hoc argumentum, assignando humanitati nude prioritatem naturæ: siue dicendo, humanitatem quidem Christi fuisse semper Verbo vnitam in quacumque temporali duratione, eiusque omnibus momentis; tamen præextisse vnioni in aliquo priori naturæ & in eo priori esse operatam, ac meruisse suam cum Verbo copulationem. Hoc effugium nego esse idoneum. Nam quamuis verum sit, humanitatem antecedere prioritate naturæ operationem quam profundit, tamen prioritas naturæ non est concipienda tanquam prioritas in quo, sed à quo, vt alibi ex Durando & Ochamo obseruauimus; ita vt esse in priori naturæ, non sit minutissima aliqua antecessione præi alteri, quod natura posterius dicitur; sed idem sit quod causare aliud, eique à se dependenti, conferre esse. Cum ergo meritoria operatio in Christo non habuerit vllam dependentiam ab humanitate, priusquam intelligatur terminata per substantiam Verbi, sed manauerit ab humanitate, prout completa quoad esse suum interuentu diuinæ substantiæ, (actiones enim, iuxta vulgare effatum ex Aristotele huc detortum, sunt suppositorum;) perspicuum est, actionem meritoriam, in Christo non fuisse naturæ priorem vnione ad Verbum: idcircoque eam de facto condignè non promeruisse. Quod secundò validè enicitur, ex eo quod ad meritum condignum exigatur sanctitas operantis. Atqui Christi humanitas prius natura quàm vniiretur Verbo, caruit sanctitate; cum substantiali, vt patet, tum accidentaria, quæ omnis in Christum ab vnione deriuata est. Non igitur prius natura quàm vniiretur, potuit humanitas eius condignè mereri vnionem.

Ad argumenta in contrarium.

167. Quæ in contrarium proponebantur, nullius sunt momenti. Falsò quippe supponebatur, Angelos in primo creationis suæ momento, meruisse condignè sanctificationem. Nam quamuis verius sit; Angelos eam meruisse de congruo, liberè operando per auxilia quibus diuinitus præuenerunt, tamen cum meritum condignum sit effectus & fructus sanctitatis, impossibile fuit eos condignè mereri, prius natura quàm sancti essent: atque adeò non potuerunt condignè promereri suam sanctificationem, quod fustus confirmat Suarez lib. 12. de gratia cap. 14. num. 9. Autoritas verò quæ subieciatur, malè proferebatur tamquam Augustini, cuius tam expressa tamque concepta in contrarium testimonia adduximus. Est itaque alterius, qui verbatim Origenem exscripsit ex lib. 2. periar. cap. 6. & inter alia præclare ibi ab Origene dicta de sanctitate animæ Christi, has quoque eius feces bibit. Tamen enim Verbum lubricum ibi ab Origene adhibitum, quo insinuat præexistentia animæ Christi, vt & cæterarum omnium, prætermisit consilio is quem dixi pseudo-Augustinus: tamen quod ab Origene con-

Bb

sequenter

sequenter ad illum errorem fuerat affirmatum, de merito vnionis, quodcumque tandem illud tribueret, improvidè hañsit, & in opus suum deriuauit. Me verò hic Origenis locus maxime confirmat in sententia iam olim concepta, quod hominib; in diuersos quæ eius nomine circumferuntur, alterius reuera sint. Ibi enim hom. 2. ad finem, ad illud *plenum gratia* Autor diserte affirmat, Christum non meruisse vnionem. [Maximum inquit & particulare exemplum gratia, qua nullis præcedentibus meritis homo efficitur Deus, Christus est, & in ipso primordialiter manifestatum est.] Quæ è diametro pugnant cum loco prolato ex indubitato libro Origenis.

Extenditur resolutio ad meritum compensatiuum.

168. Neque verò hoc dumtaxat de quo hætenus egimus proprie dictum meritum condignum, quod scilicet est attractiuum præmij nondum obtenti, negandum Christo est respectu vnionis hypostaticæ, vt hætenus euicimus: sed etiam improprium illud quod consistit in compensatione meritis credito antea traditæ, vt postea explicabitur. Negandum inquam est, Christum per bonum vsum vnionis acceptæ, & per opera inde exorta, compensasse beneficium illud ex misericordia antea concessum, sed sub expectatione huius solutionis postmodum consecuturæ, cum debitor ad pinguiorem (vt ita dicam) fortunam venisset. Deus enim illas ipsas ob causas ob quas iudicauit expedit vt nobis prima gratia omnino gratis obtingeret, & nostram prædestinationem quoad totam seriem effectuum eius non mereretur vlla ratione, etiam hac impropria, quæ compensatio ac potius ac solutio est quam proprie dictum meritum; ob eandem censuit conuenientius, vt Christus Dominus quem S. Augustinus l. de prædest. SS. cap. 15. & l. de dono perseu. cap. 24. appellat *illu(rissimum) nostra prædestinationis exemplar*, fieret hoc modo similis nobis. Vt omni proflus creaturæ innotescat Deum supernaturalia dona, cuique primum elargiri planè gratis, & abique argento numerato aut numerando: atque adeò puram eius misericordiam, præuenire nos.

Et ad meritum condignum proprie dictum, cuiuscumque creaturæ.

169. Quod si meritum condignum vnionis ad Verbum, Christo de facto negauimus, multo manifestius esse debet, meritum illud, puræ cuiuscumque creaturæ negandum esse. In primis quia Scriptura passim tribuit Verbi cum humanitate copulationem, immensæ Dei misericordiæ ac benignitati, quod saltem valet respectu nostri: quandoquidem interdum verbis conceptis remouet ab hoc negotio humana merita. Sic ad Titum. 3. Apostolus. *Apparuit (inquit) benignitas & humanitas Saluatoris nostri Dei, non ex operibus iustitiæ quæ fecimus nos, sed secundum misericordiam suam saluos nos fecit.* Idem sonant illa Luca 2. *per viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus visitauit nos oriens ex alto.* Et illa Ephes. 2. *propter nimiam charitatem suam quæ dilexit nos Deus, filium suum misit.* Ea ipsa de causa Christus Hebr. 2. dicitur *gratia Dei*. Deinde, principium meriti, de potentia saltem ordinaria in qua nunc versamur, non cadit sub meritum proprie acceptum; quod scilicet tendit in præmium vt habendum. De eo namque merito, est hoc loco sermo. Atqui vnio hypostatica sine Christus per eam constitutus, fuit principium proprie dicti meriti quorumcumque purorum hominum, quatenus fuit principium vniuersalissimum, & fons totius gratiæ puris hominibus communicatæ, vnde est eorum meritum. Deus enim *benedixit nos omni benedictione spiri-*

tuali, in celestibus, in Christo. Expendenda vox (*omni*) quæ planè fert, ne stillam quidem gratiæ communem vilius aliter quam per Christi merita. Igitur vnio hypostatica sub nullis planè puræ creaturæ condignum meritum cecidit. Quod tandem solidè confirmat improprio quorumuis actuum puræ creaturæ, cum tali præmio condignè promerendo. Est enim præmium adeò sublime ac eminens, vt omnis nostrorum meritorum tenuitas subitus iaceat, nec ad illud exæquandum possit assurgere, quantumvis promissio de eo præmio rependendo interueniet, quam tamen constat defuisse. Nulla igitur pura creatura, condignè de facto promeruit vnionem humanitatis Christi ad Verbum.

Neque reclamant Patres, qui interdum dicunt aliquas personas creatas, ac nominatim Deiparam, dignas fuisse aliquo dono aut prærogatiua, inuolente vnionem humanitatis Christi ad Verbum, v.g. maternitate Dei. Ita plane Epiphanius. har. 78. inuictus in Antidicomarianitas, quod auderent impetere eam quæ digna facta est habitaculum fieri Filij Dei, eumque concipere & parere. Similiter S. Ambrosius lib. 2. de Virginibus. Maria digna exiit, ex qua Dei Filius nasceretur. S. Chrysostomus serm. de hypapante. [Beata mater, vltia omnem humanæ naturæ modum, modestiam ac temperantiam excoluit, & ob id vniuersorum Dominum in vtero gestare promeruit.] Hieronymum ad Eustoch. de cultu. Virginis. [Tantæ puritatis Maria exiit, vt mereretur effici mater Filij Dei.] Fortunatus libro de æternis gaudiis.

Virginitas felix, qua partu est digna tonans, Quæ meruit Dominum progenerare suum.

Alia similia quamplurima Patrum loca, addensat eruditè Canis. lib. 2. Mar. cap. 16. quæ nego positæ veritati incommode. Latius enim pater, B. Virginem fuisse dignam maternitate posito quod maternitas esset alicui conferenda, quam condignè promeruisse donum illud. Quæ de re rursus infra, tractando meritum circumstantiarum productionis Christi Domini.

Ne congruum quidem meritum, Christo circa vnionem tribuendum.

170. Vnica de vnionis merito dubitatio superest, an de facto ceciderit sub meritum congruum, siue Christi, siue puræ alicuius creaturæ: & sermo semper est, de merito proprie accepto, id est tendente in præmium habendum, non autem compensante iam adeptum: quamquam & hoc quoque Christo defuit. Sed nos illud hic non curamus, intenti in solum meritum congruum proprie acceptum. Negandum Christo esse huiusmodi meritum, perspicue euincitur rationibus supra propoitis at de facto negandum Christo meritum condignum vnionis cum Verbo. Nimirum quod Christus, ad vnionem promerendam perinde se habuerit, ac nos ad meritum primæ gratiæ actualis, quam constat meritis nostris, etiam congruis, subduci. Deinde quod omnia Christi opera quomodolibet meritoria subsequantur vnionem ad Verbum, eumque supponant, tamquam existentia complementum ac terminum vltimum, cui nulla operatio potest præintelligi; cum prius sit esse completè, quam operati. Tandem quod auxilia gratiæ communicata Christo, data sint titulo vnionis adeptæ. Omnia enim supernaturalia dona quæ accepit, habuit titulo filiationis naturalis: atque adeò prius natura sortitus est eminentissimum illud gratiæ beneficium, quam auxilia vlla, vel habitus, creatos insulos. Cum ergo principium meriti, (saltem loquendo de facto, siue de potentia ordinaria, non cadat sub meritum, etiam congruum; manifestè concluditur, Christum ne congruè quidem promeruisse de facto vnionem humanitatis suæ cum Verbo Dei. Dices, si actiones Christi quas in momento

merito incarnationis elicuit, spectentur præcisè prout significantur à donis creatis quæ Christo inerant; negat quippe non potest quin ab eis quoque dignificaretur, cum in nobis ea dignificatio cernatur;) certum est, eas non posse esse meritorias vnionis de congruo ob inæqualitatem. Ergo erant meritorie de congruo, Respondeo, actiones Christi non potuisse spectari vt præcisè dignas per dona creata: quia impossibile est quin suppositum ad quod spectat vnio, infortiter mutaliter atque dignificet actiones bonas quæ per metum motum elicuntur. Possunt quidem Christi actiones considerari à nobis inadæquate prout præcisè dignificatur à donis creatis: sed non poterant sic exerceri. Erant autem meritoria non vt possunt considerari, sed vt reipsa exercebantur. Deinde dona creata Christo communicata, supponebant vnionem; & titulo eius fuerunt collata. Non poterant igitur, principium illud suum promerere. Itaque ratum esto, meritum congruum incarnationis & vnionis, negandum Christo esse. Nec circa hoc video esse controuersiam.

Item de puris quibusvis creaturis, statuitur.

171. At quoad puras creaturas, dissident nonnulli, secum vt videtur S. Thomam 3. p. q. 2. art. 11. concedentem puris hominibus meritum congruum illiusmet obiecti, cuius negauerat condignum; nempe vnionis ad Verbum. Et conceptis verbis in 3. sent. ad Anibalatum disp. 4. q. vnica art. 4. concedit, substantiam incarnationis cecidisse sub meritum congruum antiquorum Patrum. Cui sententiæ subscribere omnes Thomistas, affirmat Alvarez 3. p. disp. 17. annuuntque Suarez 1. 3. p. disp. 10. sect. 6. Valentia disp. 1. quæst. 2. p. 8. Regula disp. 44. §. 1. Bonacina disp. 2. de incarnatione quæst. 1. p. 5. §. 1. Aliique non pauci. Sed sunt qui aliter de prædestinatione vnionis hypostaticæ, siue de diuina intentione eam producendi, philosophentur; quam de executione. Nam prædestinationem siue intentionem, fatentur non cecidisse de facto sub illius puræ creaturæ meritum congruum, quod de executione fatentur. Sicut de quibusvis electis, censent, eos non fuisse efficaciter electos ex meritis præiudicis, etiam si in tempore & quoad executionem, adipsentur per merita gloriæ, ex pura misericordia præstati.

Mhi hæc omnia parum consequenter dici videntur. In primis enim in re præsent, hi autores affirmant nobilissimam, vnionem humanitatis ad Verbum non cecidisse de facto sub meritum condignum vilius puræ creaturæ: eo quod principium meriti, (saltem loquendo de facto, & secundum legem Dei ordinatam,) non cadat sub meritum. Atqui ea ratio, si quicquam probat pro excludendo merito condigno puræ creaturæ respectu vnionis, æquè excludit meritum congruum. Nam huius quoque meriti principium, in puris hominibus est gratia collata dependentem ab vnione, siue per Christi merita. Igitur necesse est, prius decretum vnionem seu Christum; ac proinde verum non est, quod puri vilius hominis merita, substantiam vnionis meruerint. Distinctio verò prædestinationis diuinæ & executionis, est planè frivola. Prædestinatio enim & executio, non nituntur vnus causis: sed si res, prædestinatio est ab æterno meritis gratis & absque meritis, necesse omnino est vt mandetur executioni eodem modo: cum prædestinatio non constet ordinem seorsum ab executione; sed res sit prædestinata, vt sic vel sic executioni mandetur: alioqui liceret quoque novum finem executioni appingere, distinctum ab eo quem intentio præfixerat: quod esset, executionem in nouam intentionem transformare. Impugnata plenius est ea distinctio, tractando beatorum electionem ad gloriam, cum

Theoph. Raynandi Christum.

Vasque 1. p. d. 89. Quare concludo, non modo Christum, vt præiudicis, sed neque vllam puram creaturam, meruisse de facto congruè, Christi substantiam formaliter sumptam, siue vnionem humanitatis eius ad Verbum.

Circumstantia incarnationis sub nullum Christi meritum, nec nisi sub congruum purorum hominum ceciderunt.

172. De circumstantiis v.g. quod hoc tempore, aut loco, aut per hanc personam, producta sit vnio hypostatica, alia est ratio quoad meritum de facto competens puris creaturis. Nam quoad Christum quidem, cum eas planè subsequeretur, certum est non promeruisse se vilo proprio modo tales circumstantias, siue condignè siue congruè. Puras verò creaturas, negandum est meruisse condignè vllam huiusmodi circumstantiam. Circumstantiæ enim, cum spectent, ad eundem ordinem cum re quam circumstant, sunt præmia extra communem ordinem gratiæ, & veluti extranea actibus hominis quantumlibet meritoris. Itaque non ceciderunt sub meritum condignum purarum vllarum creaturarum. Admitto tamen, eas meruisse reipsa de congruo incarnationis circumstantias, saltem aliquas: non modo quoad executionem, sed etiam quoad intentionem diuinam, contra hic recurrentem inutilem Pelsantij distinctionem 3. p. q. 2. art. 2. disp. 3. hauriam ex Suarez 1. 3. p. disp. 10. sect. 6. Est enim longè alia ratio circumstantiarum quoad puros homines, quam substantiæ Christi. Circumstantiæ namque, non sunt principia meriti purorum hominum, vt non possint sub illud cadere. Substantia autem est principium nostri meriti, quod de lege saltem ordinaria non cadit sub meritum. Itaque circumstantiæ vnionis, possunt obijci, & de facto aliqua fuerunt obiectæ, merito purorum hominum.

Nec opponi potest, actiones huiusmodi circumstantiarum meritorias, præsupponere Christum tamquam principium earum, prout vi meritoria pollentur. At Christus non potest præsupponi, nisi cum suis adiunctis ac circumstantiis: neque enim est nisi certo loco, ac tempore, per aliquam matrem, & auos ac proavos. Nulla igitur vi, circumstantiæ illæ poterunt sub meritum congruum hominum purorum cadere. Hoc inquam opponi non potest, saltem quoad omnes circumstantias. Potuit enim Christus Deo obuersari quoad suam tantum substantiam, ea quæ ratione intelligi futuros principium donorum per quæ aliqui essent promerituri circumstantias productionis ipsius Christi. Non quod reipsa Deus, non viderit temper Christum prout erat futurus, atque adeo cum omnibus suis adiunctis: sed quod secundum nostrum imperfectum concipiendi modum, quæ sunt ab aliquo obiecto independentia, censentur intelligi à Deo, prius: nempe prius ratione, salua semper concomitantia quoad realem durationem. Quod si aliqua circumstantiæ Christi, tales fuissent, vt omnino præsupponendæ essent ad Christum, atque adeo ad actiones à Christo pendentes, quibus videri potuissent obijci tamquam præmia; tunc negandum esset, meritum illud verè dependisse à Christo tamquam à principio, etiam si dependit ab eo, vt compensante beneficium collatum antecederet ad ipsum Christum. Et ita nominatim videri poterit philosophandum circa meritum quo B. Virgo promeruit maternitatem, & quo progenitores Christi meruerunt originem Christi ex stirpe sua. Cæterum non videtur difficile, ad has quoque circumstantias applicare doctrinam propositam; concipiendo Christum quasi vniversè decretum, & præiudicis cum multis bonis operibus ac meritis,

Bb 2 princi

principiare meritorie auxilia gratiæ, & dona, quibus elici possent actiones matris & anteriorum Christi progenitorum, promerentium ut Christus iam quasi vage & in vniuersum prædestinatus, determinaretur à Deo ad nascendum à tali stirpe, & ex tali matre. Sed de hac re, plenius cum de Christo capite.

Quale illud congruum meritum fuerit, nominatum in Deipara.

173. Ita tamen accipi volo, hoc circumstantiarum meritum congruum, quod admitto, ut non semper velim, eos qui circumstantiam aliquam incarnationis congruè promeruisse dicuntur, ad illius præmij consecutionem actiones suas direxisse; vel Deum cum illis, de talibus actibus, sub huius præmij conditione pepigisse. Constat quidem, in nonnullis exemplis veterum Patrum qui aliquam incarnationis circumstantiam congruè meruisse censentur, id interuenisse: & admittendam esse, directionem piorum operum ab eis factam, ad promerendam circumstantiam aliquam huius mysterij. Nam v. g. ita philosophandum est de Acceleratione incarnationis, quam plerique præci iusti, de congruo metuerunt. Sic Danielis 9. dicitur abbreviatum fuisse tempus aduentus Messiae, quia Daniel vir desideriorum erat. Et Psalm. 11. David ex ore Dei prænuñciat, *Propter miseriam inopum, & gemitum pauperum, nunc exurgam*: quod passim Patres, de aduentu Christi, propter sanctorum præcorum ardentissima vota accelerato, interpretantur. Et apud Malachiam, Christus dicitur, *Dominator quem vos queritis, & Angelus testamenti quem vos vultis*, qui & ideo dicitur *uenturus statim*. Accelerationis porro nomine, non est intelligendum quod coram vocabuli præfert: nempe quod Christus sit productus, ante tempus quo decretum antea erat illum esse producendum: Id enim non cohereret cum immutabilitate diuini decreti. Sed nomine Accelerationis, in hoc negotio, intelligere oportet virtutalem antecessorem in Christi productione, sitam in eo quod Deus ab æterno propter merita quorundam iustorum præuila dependenter à Christo, prius ratione diuinitus prædestinato, sanxerit ut Christus in aliquo certo tempore fieret, & non in vitio in quo alioqui fieri potuisset, vel etiam factus fuisset, nisi petitiones & merita iustorum prædictorum interuenissent.

At alias quasdam personas, constat meruisse congruè aliquam incarnationis circumstantiam, etiam si nulla actionum ad hoc præmium directio interuenisset quia ex parte huiusmodi personarum saltem idoneitas & aptitudo aliqua est Deo obuersata, cuius intuitu eam circumstantiam decreuerit, & executus sit. Sic Abraham, in præmium obedientie diuino mandato exhibitæ, nihil tale cogitans, reulit diuinum promissum de ortu Christi ex genere suo; ac ut scilicet diuinitatis (ut sic dicam) oleastro suo infereretur, Operatio enim illa, & vita integra Abrahami, tam accepta fuit Deo, ut decerneret prærogatiuam prædictam Abrahamo concedi: quod sufficit ad aliqual meritum de congruo, etiam si defuerit formalis directio actus boni, ad consecutionem præmij cadentis sub meritum congruum.

Similiter B. Virgo meruit de congruo eligi in matrem Christi, ut admittit D. Thom. 3. p. q. 2. art. 1. ad 3. & ita accipio quod passim Patres dicunt, Deiparam meruisse eligi in matrem Christi. Pulchrè S. Bernardus serm. de aquæductu. [Sed quomodo noster hic aquæductus, fontem illum attingit tam sublimem? Quomodo putas nisi vehementia desiderij, nisi feruore deuotionis, nisi puritate orationis? Sicut scriptum est: *Oratio iusti penetrat celos*. Et quis iustus, si non Maria iusta, de qua Sol iustitiæ ortus est nobis?

Quomodo ergo illam inaccessam attigit maiestatem, nili pulsando, petendo, querendo? Denique & quod quærebat inuenit, cui dictum est, *Inuenisti gratiam apud Deum*. Quid? Plena est gratia, & gratiam adhuc inuenit? Digna prorsus inuenit quod quærit, cui propria non sufficit plenitudo, nec suo potest esse contenta bono: sed quemadmodum scriptum est: *Qui bibit me, adhuc sitiet*; Petit super effluentiam ad salutem vniuersitatis. Id ipsum est quod Ecclesia sæpe canit, Deiparam meruisse Christum portare, quod nominatim in Antiphona Paschali ad Deiparam cuius initium est *Regina cali*, quam hac ex causa allatratam à Sæctariis, inde propugnat Petrus Sutoris in Apol. contra nouos Anticomatistas quos Patres quorum multos in eam rem profert, admittant hoc Virginis meritum. Latè quoque in eam rem disputat & aliquot Patres in eam sententiam adducit Clichtouæus lib. 2. de venerat. Sancto. cap. 13. Retuli superius alios nonnullos; & plures allegat Canisius lib. 2. de Deip. cap. 16. cum quo ita de hoc Deiparæ merito philosophor, ut quamvis nullum B. Virginis cum Deo pactum explicitum vel implicitum interueniret, de tali præmio ob bonos aliquos actus rependendo. (Nullo enim modo Deipara, de hac tanta Dei circa ipsam benignitate cogitaret, ante Angeli aduentum.) Tamen ideo dicatur Deipara congruè meruisse sic eligi, quia tanta sanctitate & puritate enitebat, ut ex suppositione quod Deus decreuisset homo fieri ex muliere; ex nulla tam congruè (certè non congruentius) quam ex ista fieri posset. Quo pacto posset quispiam, tamen non mereatur, Regis aduentum in urbem aliquam, dici tamen promereri, ut Rex si eo venturus esset, diuertat ad ipsum; eo quod nullus sit tali hospite aptior, vel etiam æquè idoneus ad excipiendum Regem, neque congruentius alibi sit habiturus hospitium. Vbi vides, cerni dumtaxat eam rationem meriti, quam describam. De variis virtutum actibus quibus hoc Deiparæ meritum constituit, pulchrè Dionys. Richelius lib. 1. de Land. B. Virginis articulo 26. & Petrus Sutoris in Apol. contra Anticomatistas cap. 9.

Alia de congruo illo Deipara merito opinationes improbate, siue statuatur à Christo dependens.

174. Qui verò aliud in Deipara meritum congruum maternitatis inuenerunt, audiendi non sunt: siue dicant Deiparam meritum illud habuisse dependenter à Christo; siue habuisse independentem. Meritum maternitatis à Christo dependens, agnoscit Suarez t. 1. 3. p. d. 10. sect. 8. Argumenti verò propositi impetum declinat, tribuendo Deiparæ meritum congruum propriè dictum maternitatis, quoad executionem, non quoad prædestinationem diuinam. Sed eam distinctionem inutilem esse, supra monstrauimus.

Salazarius l. de concept. cap. 24. sect. 5. alia ratione tuetur, quomodo Deipara dependenter à Christo, potuerit maternitatem suam merito congruo propriè dicto adipisci. Ait ergo merita Christi pro B. Virgine, & Christum ea merita profundentem, posse præintelligi B. Virgini, & meritis eius: nec vicissim necesse esse Deiparam & eius merita Christo, licet ex Virgine procreato præintelligi: quia principium meriti, quod solum non potest sub meritum cadere, quia præintelligendum est merito, & immediatè meriti causæ; non est quodcumque meriti principium; sed illud tantum, sine quo singularitas & essentia specifica actus meritorij, prout talis est, concipi & esse nequit; non autem cætera, sine quibus actus meritorius esse posset idem numero. Quia ergo principium essentialiter necessarium ad actum meritorium B. Virginis, ita ut sine eo actus meritorius substantialiter tum specie tum individualiter

177. Mihi hæc dependentiæ Christi multiplicatio, non modò inaudita priscis Scholasticis & SS. Patribus videretur; (nemo quippe profertur, vel profecti potest, qui ante paucos hos dies, eam subolsecerit;) sed etiam sine necessitate conficta, atque adeo reiicienda. Nam ut liquet ex prædicto Autore, num. 3. 8. tota necessitas independentiæ Christi à matre, siue in solis vitæ terminis, siue per totam vitam admittenda, est meritum congruum matri, & anteriorum matri progenitorum; quod non debet statui pendens ab existentia per matrem immediatè, & mediatè per anteriores progenitores collata: ne Christus propter meritum illud principians, præsupponatur sibi, propter productum per vnicam causam suam; nempe per matrem: quod incommodum declinatur posita alia Christi causa totali; prorsus independente à matre. Atqui meritum illud congruum, implantatum vni aut pluribus actionibus quas Deipara ad huiusmodi præmium direxerit, commentitium est, ut iam dixi. Rurigitur fundamentum tot nouitatum, omnibus reitò Theologis inauditarum. Deinde in proposito philosophandi modo, multa peccantur. Nam duplex actio cum vnicò modo effectibus intrinseco, intelligi non potest: quia quo iure actio Dei dicitur formaliter immanere Deo, nec esse nisi virtualiter transiens; eodem actio causa secundæ, immanebit causæ secundæ, nec nisi virtualiter erit transiens. Itaque nullus planè modus dependentiæ immanebit effectui, quod aduersarius ipse non concedit. Videbitur etiam concedendum, iuxta eam doctrinam, Christum non obijisse: quia quantumcumque tormenta & cruciatus euerterint statum dispositionum vitæ conservandæ congruentium; tamen potuit retinere esse, per decretum totale, independentens à causis secundis, & per actionem conservatiuam illhuc vsque tractam, quatenus à tali solius Dei decreto oriundam. Nec verò dumtaxat potuit Christus, esse suum ea via retinere, & imperium mortis effugere, sed etiam debuit. Nam Deus pro sua sola voluntate, & seclusa exigentia ex parte causæ secundæ, non destruit res quas immediatè ac per seipsum, conservat independentes à dispositionibus; ut patet ex perpetua Angelorum conservatione. Denique nemo hæcenus tam multorum qui historiam Evangelicam & Christi mysteria explanarunt, commentus est, Christum per tempus ieiunij quadragesimæ conservatum esse duplici actione, vel duplici totali decreto ad conservationem directam terminato: cum sufficeret abundè illud vnum quo prius conservabatur, vinctis dumtaxat & impeditis miraculo, causis naturalibus, ne Christi dispositionem ita immutarent, ut necessaria esset conservationis abruptio. Facessat ergo multiplicatio illa, siue actionum, siue decretorum totalium, de Christi conservatione.

Modus legitimus meriti maternitatis per Deiparam, concluditur.

178. Quomodò autem Deipara mereri cògruè potuerit hanc Christi circumstantiam, siue maternitatem quæ Christo præsupponitur; (id enim est totum fundamentum ex quo ad tot nouitates facta progressio est;) enodari alia ratione commodiore potest. At primum si quis omnino putet se adigi ad meritum maternitatis congruum, & propriè dictum Deiparæ tribuendum respectu maternitatis; eodem planè modo exponendum erit, quomodò Deipara maternitatem mereretur, quo de alijs quibulvis Deiparæ meritis id necessaridè exponitur: & quo passim DD. explicant idoneitatem & aptitudinem Virginis ad eum titulum, ex gratia & meritis Virgine diuinitus adiuta comparatis, oriundam. Fuit quippe Virgo maximè idonea, ut posito decreto de Verbi Incarnatione, eligeretur in

eam quæ tanti miraculi officina foret; quia meritis omnino eximijis abundauit, & gratie cooperata est summa nauitate & diligentia, supra humanam conditionem non roboratam extraordinarijs gratiæ supplicijs. Hæc autem merita, à Christi meritis proflorentur: unde B. Virgo profundens ea merita, præsupponit Christum in prænotione Dei existentem, quippe merentem pro ipsa. Dices quomodo ergo Christus præsupponebatur accepturus suum esse per matrem? Respondent plerique, Christum prius ratione cognitum esse venturum vi decreti prædefinitiuu diuini, quàm per has vel illas determinatas causas creatas, producendus determinaretur: Atque ita in eo priori rationis, intelligi potuisse, profuturum aliquando merita, quibus omnes mortales, & quæ ex eis in eius matrem deligerent, mereri posset. Vnde Christus propter præcisè vi diuini decreti ac non nisi generatim, & indeterminatè, vel quasi vagè præcognitus existens, est prior matre, & eius meritis; quibus posterior est, propter cognitus quatenus productus de facto, per determinatas causas. Hæc est apud plerisque & nominatim apud Præpositum 3. p. q. 2. n. 153. & 154. ratio exponendi Christi merita pro matre, & pro antiquis iustis. Effetque potius ea ratio ineunda, quàm quæ prolata est, nixa Christi independentijs inauditis, si alterutrum tueri adigeretur.

Quod si prædicta via exponendi verum Christi meritum, pro Patribus & matre, ipsum ex se producendum promerentibus, nimium difficilis videretur; facile esset molliore difficultatem, abrogato merito Christi, propriè dicto quoad personas illas, & reuocato ad meram compensationem doni quasi credito antè dati à Deo; ut saltem de Adami innocentis, & de Angelorum gratia philosophandum est, iuxta ea quæ dicentur infra, exponendo dignitatem Christi capitis; ubi rursus de his nonnulla. Vsum doctrinæ proposuimus, dabo ad calcem sequentis capituli.

CAPVT II.

De causa Christi meritoria secundum potentiam absolutam.

179. Hæcenus de eo merito, quo de facto concessum aliquibus est aut negatum, Christi substantiam siue vniionem hypostaticam, eiusve circumstantias, meriti mereri. Nunc considerandum est, quid contingere potuisset de potentia absoluta, si ita visum Deo fuisset, quoad ea quæ negauimus cecidisse de facto sub merito, aut cadere potuisse de potentia ordinata. Nam reliqua, constat cadere posse sub merito de potentia absoluta, cum possint sub illud cadere de potentia ordinata. Negauimus igitur, de potentia ordinata cadere potuisse sub quodcumque omnino Christi meritum, quicquam ad Incarnationem spectans, siue sit substantia eius, siue circumstantia: quam etiam omnem materiam subduximus merito congruo putatum creaturarum; ac etiam substantiam, congruo eorumdem merito exemimus. Videndum itaque est, an de potentia absoluta, aliquid aliud statui possit respectu obiectorum, quæ & propriè dicto Christi merito, & propriè item accepto merito purarum creaturarum, neganda diximus.

Status controuersia de merito Incarnationis secundum potentiam absolutam. Meritum compensationum seponitur.

180. Verum ante omnia statuendum duco, non esse hic controuersiam de merito illo improprio quod situm est in compensatione rei antea credito exhibitæ. Duobus enim modis aliquid potest intelligi se habere per modum meriti. Primum per modum causæ moraliter efficientis, quæ est vera meriti notio. Nam ut ratione